DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
RHACHITIDE,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Josephus Dechant,
Austriacus Pulkaviensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 14. Februarii 1835.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

CLARISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO BERNT,

MEDICINAE DOCTORI,

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI MEDICINAE PUBLICAE PROFESSORI ORDINARIO, PUBLICO, FACULTATIS MEDICAE VINDOBONENSIS MEMBRO DIGNISSIMO

ETC. ETC.

VIRO

SCIENTIA, INGENIO, EXPERIENTIA

ET HUMANITATE PARITER INSIGNI,

PRAECEPTORI DOCTISSIMO,

IN SUMMAE VENERATIONIS EXILE

PIGNUS HASCE PAGINAS

OFFERT

gratissimus
Auctor.

Prooemium.

Quam potissimum pro dissertationis argumento sumerem materiam reputanti venit in mentem famosa rhachitis, infantum morbus, recentiori aevo facile frequentissimus, quem tamen parum aliunde, quam ex observatorum operibus, me cognitum habere confiteor. Ignoscite judices! Nolite nova exspectare lectores!

Utinam ne tener libellus, velut praemature partus, similia ipse, ac quae lucidare deberet, formae et mixtionis vitia mihi recondat, quae facile jam e longinquo distinguit versatus!

Denominatio.

Rhachitis vi nominis graeci ῥάχις spina (dorsalis) et terminatione ιτις designat morbum, cujus maximus impetus in spinam dorsalem dirigitur. Anglis dicitur *the rikets*; Gallis *le rachitisme*, *la chartre*, la *nouure des enfans*; Italis *la rachitide*, *il rachitismo*; Germanis *englische Krankheit*, *Zweywuchs*, *doppelte Glieder.*

Brevis historia.

Inter medicos lis est, utrum pro morbo serius descripto, an pro penitus novo rhachitis habenda sit. Perpendendo tamen, mali hujusce semina per totum orbem, utut diversa copia et vi germinandi, dispersa omnique tempori nexa esse, priorum opinioni valdopere inclinat animus. Verumtamen in veterum (*Hippocratis*, *Corn. Celsi*) libris indicia ex eo verisimiliter rara sunt et obscura, quod pertinax morbus non amet amoenum Graeciae et Italiae solum, sed in udis potius, depressis et paludosis regionibus, nebula continuo tectis, suum habeat imperium. Hic demum et suos invenit scriptores: *Bartholomaeus Reussner* (1582) in Batavia, *Arnoldus Boat* (1648) in Hibernia hunc morbum observarunt et descripserunt, quod idem cum ma-

jori adhuc diligentia *Glissonius* (1650) praestitit, remque Graeco simul nomine, Anglico consentaneo, primus compellavit; *Trnka de Krzowitz* (1787) historica collegit; *Portal* (1797) observationes illustravit extispiciis; *Rosenstein*, *Richter*, *Wendt*, *Haase*, *Joerg*, aliique recentiorum eximiis operibus doctrinam perfecerunt.

Definitio.

Rhachitis est morbus productionis organicae, quoad *quantum* et *quale* turbatae, quo infantum ossa emolliuntur, glutine calcem imminutam superante.

Hypotyposis.

Morbus modo definitus cum prima plerumque dentitione in dispositos ruit, neonatos et triennium emensos non adeo petere visus. Pusiones incipiunt esse morosi et somnolenti cum taedio lusus et joci; genae pallescunt; oculi nunc minus sereni dilatant pupillas et caeruleis annulis tumidisque saepe palpebris sepiuntur. Ciborum adpetentia vel manet illaesa vel mutatur, facilius in voracitatem; halitus foetet; lingua spurcatur, et frequentes sunt ructus et materiae utplurimum acidae vomitus, cum alvi segnitie alternat diarrhoea; abdomen hepatis semper insigni volumine panditur; urinae mittuntur mucosae, turbidae et graveolentes, quae a *Fourcroy* tentatae acidula calce phosphorica, ab *aliis* oxalica graves inveniebantur. Cutis turgore spoliatur, flaccescit, rugatur (*facies senilis*), et sudore continuo madet. Clara denique morbi imago habetur ex sy-

stematis ossei symptomatibus, forma mutati et mixtione: haec praevalente mollitie, illa diversis in partibus diversimode manifestatur. En, multis aequabiliter amplificatur calvaria, aliis connivent bregmata et os frontale protruditur, jam unitae dehiscunt suturae ossaque cranii, hiantibus fontanellis neonatorum ad instar, redduntur mobilia. Dentes multis cum difficultatibus erumpunt, brevissime nigrescunt, eroduntur, marcescunt, excidunt, et vix melioribus tarde replentur alveoli. In extremitatibus emollita ossium capitula tumescunt, ut ignaris duplicia compareant et facile sponte luxentur; dolor est exiguus; cutis ambiens sani adhucdum coloris; pars cylindrica nunc extenuatur et elongatur, nunc intumet pariter, ut ganglia aemulet, mollescit et abbreviatur, diversas subiens curvaturas, ut *varos* et *valgos* inde derives oporteat. Pectoris structura multifarie pessumdatur: clavicularum et costarum arcus naturalis evanescit, sternum adscendit simulque antrorsum truditur, ut cum avium pectore aliqua emergat similitudo; musculorum videlicet abdominalium per tumida viscera ad paralysin fere tensorum detractio deficit, diaphragma nimium tollitur, et pulmones aliena nunc dimensione, quod de normali undiquaque amittunt, quaerere coguntur; nam et vertebrarum columna mollitie morbosa corripitur et modo brevior fit, ut grande caput intra scapulas subsideat, modo antrorsum flectitur (*lordosis*), modo retrorsum (*kyphosis*), modo in latera (*scoliosis*); quae omnia partim ipsius corpusculi pondere, partim musculorum actione fieri patet. Quam sub tali rerum statu medulla spinalis aut nervi ex eadem oriundi nonnunquam patiuntur, pressionem sequuntur diversarum functionum laesiones, artuum stu-

pores et paralyses (*kyphosis paralytica Pottii*). Ossa innominata sexui femineo exitiosas moliuntur pelvis angustationes et partuum impedimenta. Musculi nimis graciles et flaccidi evadunt. Explicat horum et ossium labes, cur caput modo prolabatur, modo supinum pendeat, modo fulcrum in humero habeat; cur incessus retardetur, infirmior et vacillans reddatur, et cur, qui jam adfuerit, iterum evanescat. Mentis facultates in aliis ad stupiditatem depressas, in multis ultra, quam par est, elatas esse referunt auctores, ipsique plebeji, tenellos quandoque prae sapientia non posse valere et adolescere, in proverbio habent.

Complicationes.

Vix est aliquis tenerae infantiae morbus, qui rhachitidis consortium repudiet; cum scrofula tamen et helminthiasi, ad diversum gradum evolutis, fraterno quasi vinculo lubentissime sociatur.

Primo in casu non deerunt: habitus manifeste scrofulosus, glandularum ad latera colli, sub axillis, in abdomine nec non ad articulos sitarum tumores, haud raro inflammati et lente suppurantes. Similis processus, si in ossium systemate viget, paedarthrokakes aut spinae ventosae formam saepissime refert, prout ex imo cujusdam phalangis (plerumque penultimae), aut ex osse longiori emergit.

Sublatentem helminthiasin comitabuntur scleroticae color plumbo similis, creber narium titillantium scalptus, magna in morbos convulsivos et ipsam epilepsiam proclivitas, nec non vermium secessus aliquoties spontaneus.

Decursus.

Tardus admodum est rhachitidis decursus; cum dentitione ordiens plerumque annosa evadit, easque cum anni temporibus subit vicissitudines, ut aestate suos non raro sistat gradus, acceleret quavis hieme; morbo jamjam ad summum evecto diu saepe resistunt horribilia monstra.

Exitus.

Limites non multum transgressa in perfectam terminatur sanitatem, idque facilius circa septimum et undecimum aetatis annum, aut pubertatis tempore; facilius quoque adparente morbo cutaneo. Sunt, qui porrigines lubentius conspiciunt, practici.

Longius in curriculo provecta acquiescit interdum, aut inhibetur; sed jam solet compagem osseam constanter deformem relinquere, unde totius oeconomiae vitalis multifariae turbae proficiscuntur, quae in sanguinis circuitu et respiratione diversimode laesis conspicuae, hydrokephalum, asthmata, pulmonum inflammationes, indurationes, exulcerationes et hydrothoracem adlicere consuescunt.

His denique morbis aut mors apoplectica, aut suffocativa supervenit, aut liquationes et phthises miseram vitam exhauriunt.

Necroscopia.

Rhachitide defuncti cadavere calorem diu servari, solitum rigorem tardius aut nunquam insequi, tenuemque sanguinem non abire in coagulum et immi-

nutum esse cruorem autumatur *). Calcis phosphoricae inopiam cum glutinis abundantia chimici detexerunt in ossibus, quae anatomi hic incrassata, ibi attenuata, multum distorta et cribrosa, ad maximam partem mollia, cultro facile penetrabilia, vel plane cariosa conspiciunt. Tubera, quae in carpis et talis, inque costarum juncturis frequentius occurrunt, ex ima semper substantia emergunt. Musculi omnes sunt pallidi, flaccidi, lardo aemuli et voluminis imminuti.

Cranio aperto, vasa meningum saepe turgidiora, ipsum cerebrum nunc normale, nunc grandius, nunc mollius, nunc sero inundatum deprehenditur. Multa in pectoris cavo inveniuntur abnormia, inter quae thymus, glandula durata et tumida, pleura costalis accreta pulmonibus, hique materia viscida infarcti, nodosi, skirrhosi, ulcerosi, pure, sero aut sanguine stagnati creberrime occurrunt lustranti (*Heister*). In abdomine hepar constanter grandius mirandum, non raro infarctum, cholekystis bile scatet pallidiori et aquosa, lien et pancreas eodem, quo hepar, vitio non semper immunes. (*Portal*, *Buchner*, *Wolf*); glandulae meseraicae sunt tumidae, durae, et materia caseosa impletae; mucosa colluvies, vermibus lubenter habitata, fistulam alimentarem frequenter inquinat.

Aetiologia.

Causae disponentes. Primae infantiae, qua substrato praeprimis osseo solidando et dentitionis operi totum fere vitae munus impenditur, hoc, de quo agitur, malum suas struit insidias; congenita rhachi-

---

*) *Loder* in *Rosenstein's* Kinderkrankheiten pag. 615.

tis valde dubia est (*Richter*), sic dicta rhachitis adultorum et senum raritate sua, nec non eo distinguitur, quod causas plerumque fortuitas agnoscat, diversam ostendat formam diversamque naturam recondat.

Major dispositio inhabitat prolem praemature editam, femineam, laxam et pastosam, qualis a parentibus oritur decrepitis, aetate multum disparibus, phthisi, syphilide, arthritide, scrofula ipsave rhachitide detentis, aut olim valde tentatis, et quocumque morbo exhaustis.

Causae excitantes. Quotquot sunt potentiae inimicae, ad pessumdanda vitae plasticae opera omnes amice conspirant.

Aër impurus, corruptus, nebulosus, frigidus, calor nimius et lucis denegatus influxus pulmonum et cutis muneribus plurimum obstat; unde morbi istius frequentia in tenebricosa udaque Britannia, Batavia, in profundis Alpium vallibus, rore continuo madidis, in urbibus confertis et pauperum tuguriis; unde morbi apud veteres obscuritas, qui vitam magis apricam vixerunt sub orbis antiqui amoenissimo coelo et longe saluberrimo.

Digestionem et omnes huic subsequas functiones nil celerius turbat quam victus incongruus: ex lacte ab initio petitus tenuiori, spissiori, aliave ratione peccante, sive sugatur ex matris aut nutricis uberibus, sive sit animalium lac, nativo privum saepe tepore, teneroque ventriculo nimis alienum. Mensae adhibere vix ablactatos, copioso infarcire cibo, et ex tumido demum ventre ad satietatem concludere audet plebs ignara; pauperes denique non alia facile porrigunt quam tenacia, glutinosa, pinguia, farinacea, leguminosa et solani tubera, fatuo scatentia amylo;

acescentia et acidula tanto minus conducunt, quo magis imbecillium vita generandis acidis alioquin inclinat. Aqua non analeptica, terris praecipue sulfuricis onusta, aliisve nimium mixta peregrinis valde nocivum sistit potulentum.

Nocet gestari in uno semper eodemque latere, sedere continuo et praecocem tentare aut nimium exercere incessum; corpusculum autem ligare in truncum immobilem, et immundum immundis abdere cunabulis liberumque motum sic plane annihilare plebis duntaxat rudissimae mos est, nullam non retinens functionem, simulque ob somnum, quem modo arcet, modo nimium invitat, damnandus.

Morbis perpessis, vel et praesentibus, qui suam hic efficaciam frequenter ostendunt, adnumerantur: febres tam intermittentes quam remittentes; convulsiones; organorum spirantium catarrhi diuturni; diarrhoeae; virium exhaustio per suppurationes, per sanguinis aliorumve humorum nobilium jacturam; impetigines infantili aetati saepius amicae, si reprimuntur aut praepropere sanantur; diversissima denique vitia organica, mechanico et dynamico modo vitae infensa *).

Causa proxima. Haec in peculiari acrimonia rhachitica indolis secundum *Selle* ignotae, venereae secundum *Zeviani*, nec felicius in nervorum pulpa ab *aliis* quaerebatur. Clarius quidem actio vasorum lymphaticorum nimia, quam *Soemering* **) et

*) Ita *Portal* septem statuit rhachitidis modos: scrofulosam, syphiliticam, exanthematicam, scorbuticam, arthritico-rheumaticam, physconicam et spermatozemicam.

**) De morbis vasor. absor. Franc. 1795.

*Heine**) statuerunt, rem enodare promitteret, ni frugifera reniteretur therapia perque annos probata.

Ossium compagem a phosphate calcis acido praevalente molliorem, ad neutram vero indolem vergente duriorem reddi chimia ostendit, et huic invento *Renardus***) hanc superstruxit rhachitidis pathogeniam: *Acidi liberi, cujus tot in hoc morbo adparent, vestigia vel luculentius imprimantur necesse vitali ossium metamorphosi, qua non est momentosior infantibus. Ex sanguine igitur, medullam ingresso, acidum secernitur, idque phosphoricum, tantoque abundantius, quo plura vascula ossibus succulentis immittuntur. Nimio hoc acido terra calcaria in phosphatem abit acidulum, cum aucto volumine mollem, copioso glutine mixtum, vasis facilius sorbendum, tumque cum urinis et sudoribus eliminandum.*

Biochemicum hocce momentum recentioribus placet, sed ad biodynamicum illud, innati nimirum aut adquisiti languoris vasorum (sensu vocis latissimo), primitus advertunt animum; unde non tantum sanguinis omnia nutrientis imminuta quantitas repetitur, sed et imperfecta aut prava indoles, quae in aucta seri et crudi glutinis copia, cruoris et plasticae lymphae inopia, inque acidorum exsuperantia consistit.

Morbi ab aliis distinctio.

Tam clarae sunt causae tamque clara, quae imprimis ex osseo tenellorum fulcro veniunt, signa, ut

---

*) Diss. de vasor. absorb. ad rhachitidem procreandam potentia. Goetting. 1792.

**) Versuch die Entstehung und Ernährung, das Wachsthum und die übrigen Veränderungen der Knochen im gesunden und kranken Zustande zu erklären. Leipzig, 1803.

haec sequutus facile rhachitidem ab ipsa distinguat simillima osteomalakia syphilitica; hanc praecedit infectio, et comitatur dolorum de nocte atrocia, tumores magis circumscripti elevantur in cranio, in radio et tibia mediis, minus infestantur apophyses; unicum remedium mercurius; — quae frustra in rhachitide quaeres.

Therapia.

Amovere causas excitantes, acidis occurrere, organa assimilantia erigere, universam nutritionem imprimisque osteogenesin extollere et molesta lenire symptomata, cardines sistunt therapeuticos.

Itaque, quantum potest, cura habeatur, ut aegrum aër circumfluat purus, amoene calidus, siccus, in cubilibus sole lustratis et crebro ventilatis, sub Jove sereno et potissimum rurali.

Victus respondeat aetati, ut primo aut sua mater praebeat ubera, aut sana nutrix, cujus lac bonum infantis quadret aetati, donec eupepta solidiora, regni potissimum animalis conveniant, quo simul tempore aqua aut mera, aut pauco vino remixta aut bene parata cerevisia potui concedenda.

Situs corporis et gestatus saepe varientur, liberi motus concedantur, balneis mundatisque vestimentis sordes arceantur; et hypostromati, seta equina confecta, aut vili, ast puro semper stramini superindormiant, qui in hujus morbi periculo aut in ipso morbo versantur.

Cujuscumque generis sordes et acida primarum viarum, sive sint morbi praegressi reliquiae, sive praesentis effectus, quum causae proximae radices large nutriant, primitus, et sub alio quocumque trac-

tamine regeneratae, novitus pellantur et annihilentur, ut tali pacto multum fiat ad morbi medelam.

Ob tubi alimentaris omniumque vasorum languorem ex purgantibus, quae cum positivo, ut dicunt, stimulo agunt, seliguntur: Rheum (*syrupus Cich. cum Rheo*), Senna (*Aqua laxat.*, *Hydromel infant. syrupus fol. Sennae*), Jalappa, Aloë; — helminthiasi praesente Hydrargyrum muriat. mite aliaque vermifuga fors sequenti secundum *Stoerkium* modo in usum vocentur:

R. Semin. Santon.
Pulv. rad. Jalapp.
— — Valer.
Sal. polychrest. S. āā *drachmam unam*
Oxym. Squill. q. s.
M. f. electuarium.
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Acida sorbent et secretiones corrigunt: Magnesia usta et carbonica, lapides Cancrorum, Conchae praeparatae, aqua Calcis, Lixiva et Soda carbonica; quibus si jungitur methodus cum leni stimulo roborans et ventriculo grata, imminenti ipsique praesenti feliciter saepe occurritur malo; praestant Foeniculi, Anisi, Menthae, Melissae, Chamomillae, Cinnamomi, et similium aquae et infusa cum Gentianae, Colombo, Quassiae, Cascarillae, corticum Aurant. aut alius extracti amari aliquot granulis, cumque pauxillo tincturae cujusdam visceralis.

Exemplo sit formula:

R. Aquae Foenic. *uncias quatuor*
Carbonat. Lixiv. solut.
Tinctur. Castor. āā *guttas duodecim*
Syrup. sem. Anisi *unciam semis*
D. S. Omni bihorio cochl. coff. duo.

Jam quum adeo et ubique robur et stimulum desiderent debiles et inertes rhachitici, absolvatur quoque maxima curationis pars ratione, praepositae simili, et a mitiori paulatim ad efficaciorem transeatur.

Radices et cortices amaricantes et aromaticae in pulvere, in decocto, in infuso aquoso aut vinoso multam semper laudem tulerunt, et nux Moschata, baccae Lauri, nec non Asa foetida, sunt magni hic nominis medicamenta.

Ex glandibus Quercus tostis ruditerque comminutis (*drachm. duabus*) paratur infusum, quod cum lacte et saccharo multo cum fructu propinatur. Usum Chinae, primum in infuso, serius in decocto et extracto, usum radicis Caryophyllatae, Calami aromatici, Rubiae tinctor. et Rumicis aquaticae felicissimi revera coronarunt eventus, quin tamen specifica dici mereantur. Agmen cogit summus roborantium Mars, et recto tempore vocatus summe propitium se semper ostendit; cum acidis primarum et secundarum viarum probabiliter jungitur, secretiones corrigit, cruoris et fibrinae augmento et elaborationi amicus. Cauti ordiuntur cum salibus: Ferro malico, acetico, tartrico, sulfurico, muriatico, floribus salis ammon. martialibus cautique ad oxydulum, oxydum et limaturam progrediuntur. Vini vetusti, dulcis et generosi, aliquot de die cochlearia laudabile sistunt stomachicum.

R. Extract. cort. Peruv.
— — Aurant. aa *drachmam unam*
solve in
Aqu. Foenicul.
— Cinnam. aa *uncia una.*
Adde
Tinctur. Valer. *scrupul. unum.*
Syrup. Cinnam. *unciam unam.*
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

Henke.

R. Rad. Rub. tinctor. *unciam dimidiam*
Salis Tartari *drachmam dimidiam*
Coqu. ex aqu. font. *unciis decem.*
Colat. adde
Extr. Mart. pomat. *guttas viginti*
Syrup. cort. Aur. *unciam unam.*
M. S. Omni bihorio cochl. cib. unum.

Henke.

R. Extr. malat. Ferri *grana sex*
Aquae Foenic. *uncias tres*
Syrup. Chamom. *unciam semis.*
D. S. Omni bihorio cochl. coff. unum.

R. Ferri pulverati
Resinae Guajac. nativ. $\overline{aa}$ *drachmam semis*
Ostracodermatum *unciam semis*
Sacchari alb. *drachmas duas.*
M. f. pulv. detur usui.
S. Bis de die, quantum capitur apice cultri.

Goelis.

R. Limatur. Ferr. alcohol. *drachmas duas*
Corticis Aur. conditi *drachmas tres*
M. f. c. suffic. quant. Sacchari in
Aqu. Cinnam. soluti l. a. Morsuli.
Div. in *partes aeq. octo*
S. Mane et vesperi morsuli dimidium.

Herrmann.

Alkalia vero fixa, Saponem medicinalem, Lixivam et Sodam aceticam, Barytam muriaticam, Cupri, Antimonii, Hydrargyri praeparata, usum Ononidis spinosae, stipitum Dulcam., extracti Aconiti, Digitalis purpur. — in genere methodum solventem, simulque lymphatica vasa stimulantem complicata scrofula vindicat.

Acidum phosphoricum, quod ad 10—40 guttas infuso cortic. Chinae aut rad. Caryophyllatae additum clarissimus *Lentin* aliique proposuere, statui nonnisi colliquativo aut ossibus cariosis externe adplicatum convenire posse, theoria monet et praxis confirmat.

Curam internam suffulciat externa, tanto validior, si urget vitae cutaneae languor, si cum debilibus, qui non ferunt, aut cum pertinacibus, qui respuunt ore ingerenda, res est medica.

Calami aromatici, Caryophyllatae, florum Chamomillae, herbae Menthae, Melissae, Serpilli, Roris marini et similium infusa sub curae initio balneis tepidis inserviunt, donec ad magis roborantia ex decocto corticum Quercus, Salicis, Chinae, postremo ad thermas ferratas permittatur transitus, quae facili arte parantur globulum Martialem (= *unciae uni*) in balneo simplici solvendo. Thermae marinae aliaeque muriate graves imprimis scrofula comite suadentur; aqua frigida nonnisi fugato jam morbo salubris invenitur. Egregie autem conducit vino aut vini spiritu aqua dilutis, meris, aromate aut camphora impraegnatis lavari, et pannis fumo aethereo (*Juniperi*, *Styracis*, *Mastiches*) imbutis sedulo perfricari, quo saepe modo cuti suus redditur vigor. Hic etiam est locus Linimento volatili et saponato-camphorato, oleo Lauri et Petroleo (praecipue in glandulis duratis et sub vermium praesentia abdomini inungendis). Calefactam arenam thermae siccae in modum adhibere, nec non sereno coelo aestivo sicca decumbere humo, vegetibus plantulis consita, experientia ditissimus *Goelis* aliique collaudant. — Ast pertinax morbus sapientem pertinaciam in medendo requirit.

Quae sub decursu oriuntur ossium inflammatio-

nes, sub *spinae ventosae* aut *paedarthrokakes* forma comparentes, eadem stante cura universa, topicis nonnisi antiphlogisticis concedunt usum, quamdiu phlogoseos exstinctio speranda: hirudinum et cataplasmatum emollientium magna hic cernitur virtus. Unguentum cinereum, aliquod linimentum volatiliter stimulans, fracta symptomatum vi, resorptionem impellat.

Inevitabili autem in suppurationem transitu pars tumida et fluctuans emollienda, et puris collecti exitus quandoque artificiali modo celerandus est; quo facto vulnus cariosum saepius de die purgetur oportet, quod bene fit immittendo partem adfectam decocto corticum Quercus aliusve roborantis tepido; purgatum vero linteamine simili decocto madido, aut tinctura Aloës vel Myrrhae imbuto, aut unguento aromatico, Mercurii praecipitati rubri etc. obducto diligenter deligetur.

Acidum phosphoricum quodam decocto, modo laudato, exceptum et ulceribus fistuloso-cariosis syringa injectum secreti foetorem et consistentiam corrigit; idem et Asa foetida princeps contra ossium cariem remedium, sub congrua forma praestare poterit.

Tali regimine terebrandi et infaustissima semper in hoc morbo amputandi necessitas felicius averruncatur.

Propulsis hostibus, quamlibet potentiam hostilem multa cum circumspectione ulterius arceri, et internum organismi robur indefesse firmari incumbit. Ut corrigantur, quae fors non potuerunt averti, ossium curvaturae et, qui veniunt inde, stupores, paralyses et deformitates, laboretur fonticulis, caute-

rio et machinis arte constructis et ingenio *); — sed pro dolor! nimis saepe sero medicina paratur.

Prognosis.

Licet rhachitis nonnisi ad summum gradum evecta tabifica febre mortem pariat, secus vero dulcem sanitatis recuperandae spem per annos saepe sustineat; nihilo tamen minus atrocem suam vim cum tot tantisque sociat malis, quibus miseri tandem succumbant.

Triste praesagium est, si morbus infantes tenerrimos corripit, si celeri passu progreditur, si glandulae simul durantur et tumet nodosus venter, si cerebrum aqua repletur, medulla comprimitur, musculi convelluntur, paralytici torpent, si tussicula continuo vexat, si vires diarrhoea subducit, si serum in pectore, abdomine aut cute restagnat, si denique morbus, gliscens ab infantia, in pubescentibus demum aut chloroticis puellis manifestius erumpit.

Illi e contra pusiones aut puberes, quibus, licet nefastum vitare aërem et cibos glutinosos, apricosque petere campos, quibus, dum absunt supra allata ominosa, extremitates solum mollescunt, quibus promtum venit auxilium, quibus in carnosa dirigitur adpetitus, et vires recuperantur, et incessus addiscitur, aut firmior redditur, quibus denique felicior instat pubertas; hi sospites malum superabunt.

---

*) *Joerg*, über die Verkrümmungen des menschlichen Körpers und eine rationelle und sichere Heilart derselben. Leipzig 1810.

Monographi.

Fr. Glissonius: tractatus de rhachitide s. morbo puerili, Rikets dicto. Lond. 1650. 8.

J. Pt. Buchner: diss. de rhachitide perfecta et imperfecta. Strassburg 1754. 4.

J. Verard. Zeviani: della cura di bambini attacati dalla rachitide. Verona, 1761. 8.

Th. Le Vacher de la Feutrie: traité de rachitis ou l'art de redresser les enfans contrefaits. Paris, 1772. 8.

W. Farrer: a particular account of the rikets in childern and remarks on its analogy to the King's evil. Lond. 1773. 12.

Wz. Trnka de Krzowitz: historia rhachitidis. Vienn. Graeffer 1787. 8. Deutsch Leipz. Böhme 1789. 8.

J. F. L. Cappel: Versuch einer vollständigen Abh. über die s. g. engl. Krankheit. Berl. und Stett. Nicolai 1787. 8.

Ant. Portal: observations sur la nature et sur le traitement du rachitisme ou des courbure de la colonne vertébrale et de colles des extremités. Paris, 1797. 8. Aus dem Franz. m. Anmerk. von *Weissenfels*, Severn 1798. 8.

Fr. Carvela: considerationi sulla rachitide. Padua, 1817. 8.

L. W. Ficker: de rhachitide, morbisque ex ea oriundis; comment. med. acc. II. tabb. lithogr. Berl. (Leipz. Kummer) 1821. 4.

F. M. J. Seibold: die engl. Krankheit. Würzb. 1827. 4. Mit 2 Lithogr.

Theses defendendae.

I.

Colostrum neonatorum nutrimentum et medicamentum.

II.

Rhachitis est morbus climactericus.

III.

In tractandis morbis climactericis laus et vituperium saepe immerita medico.

IV.

Cum hominum cultura crescit morborum numerus.

V.

Histologiae summus est valor practicus.

VI.

Theoria sit praxeos obediens filia.

VII.

Morbi febriles non ideo acuti.

VIII.

Therapia simplicior securior.

IX.

Vires dare difficile, facile adimere.

X.

Medicus Aurum postponat Althaeae.

XI.

Acria non raro anodyna.

XII.

Aegri hilaritas saepe contristat medicum.

XIII.

Pulsus interdum ex more tangendus.

XIV.

Ex dokimasia biomantica certitudo.